

HANNIS, GEORGII, MELCHIORIS, MARIAE & id genus aliorum; quinimmo ipsius Theodosii nomen videtur suspectum, utpote origine Græcum, neque usque adeo facile a Romanis adsumtum. Et quando *edis Cathedralis Canonorumque*, qui ea vixere ætate apud Treveros, sic commemoratio, atque docetur, in horum numerum fuisse adlectos *Adolfum & Severum* Theodosii filios, illico adparet, quid fidei huic quoque scripto sit habendum. Deinde, non tam NASSAVICÆ familiæ primæ origines hoc documento eruuntur, quam ejus tantum incrementa ostenduntur. Nam id temporis Nassavios Comites jam dudum extitisse, ex his verbis, quæ documenti auctor interserit, manifesto liquet: (a) *Erant autem tres hæ arces* (Loppera, Sonnenbergum, & Lauribergum) quas a Theodosio conditas esse dicit, *in ditione Comitum Nassavia, cui illud minime gratum.* (b) Quare ad Imperatorem magno comitatu questum abiisse addit; *se NB. antiquum Germaniæ Comitem quam diutissime suæ ditionis tranquillam possessionem habuisse, eamque nunc a Romani imperii cliente turbari.* Quæ valde nostra confirmant adserta, NASSAVIOS Comites fuisse antiquissimos, Germanicæque originis. Omitto cetera, quæ in hanc rem dici possent, quam plurima, ulteriori aliquando ea indagini reservaturus.

XXII.

Quod reliquum est, Deum in vota vocamus O. M. hanc adeo venerandam antiquitate, qua, Cicerone iudice, *proxime ad Deos immortales acceditur*, dignitatum honorumque fastigio Augustam, meritis
in